

PRO O E M I U M .

- probl. 3. ubi de classibus opinionum circa summum Bonum ex B. Augustino agemus.
15. *Caput Variationis* est positio certarum partium; *Forma variationis*, omnium, quæ in pluribus variationibus obtinet, v. infr. probl. 7.
16. *Variationes communes* sunt in quibus plura capita concur-
runt, v. infr. probl. 8. &c 9.
17. *Res homogena* est quæ est æquè dato loco ponibilis salvo ca-
pite. *Monadica* autem quæ non habet homogeneam. v.
probl. 7.
18. *Caput multiplicabile* dicitur, cujus partes possunt variari.
19. *Res repetita* est quæ in eadem variatione saepius ponitur, v.
probl. 6.
20. Signo \dagger designamus additionem, — subtractionem, \circ mul-
tiplicationem, \oslash divisionem, f. facit, seu summam, \equiv æqua-
litatem. In prioribus duobus & ultimo convenimus cum
Cartesio, Algebraistis, aliisque: Alia signa habet Isaacus
Barrovius in sua *editione Euclidis*, Cantabrig. 8vo, anno
1655.

Problemata.

Tria sunt quæ spectati debent: *Problemata*, *Theoremati*,
utrius; in singulis problematis usum adjectimus; sicubi o-
peræ pretium videbatur, & theorematæ. Problematum
autem quibusdam rationem solutionis addidimus. Ex iis par-
tem posteriorem primi, secundum & quartum aliis debemus,
reliqua ipsi eruimus. Quis illa primus detexerit ignoramus.
Schventerus Delic. l. 2. c. 2. p. 32. apud Hieronymum
Cardanum, Johannem Buteonem, & Nicolaum Tartaleum ex-
tare dicit. In Cardani, tamen practica Arithmeticæ quæ pro-
diit Mediolani anno 1539. nihil reperimus. In primis dilucide,
quicquid dudum habetur, proposuit Christoph. Clavius in
Com. supra Joh. de Sacro Bosc. Sphær. edit. Romæ forma 4ta
anno 1585. pag. 33. seqq.